





P 23. num. 4. 24  
1721, 10  
11

EXERCITATIO JVRIDICA  
DE  
**RERVM DOMINIO**  
QVAM  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCipe AC DOMINO  
DOMINO  
**GVILIELMO HENRICO,**  
DVCE SAXONIÆ, IVLIACI, CLIVIÆ, MONTIVM, AN-  
GARIÆ, GVESTPHALIÆ, ET RELIQVA.  
CONSENSV ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS  
PRÆSIDE

**NICOLAO PRAGEMANNO**


PHIL. ET I. V. D. AVL. ET REGIM. SAXO-VINAR.  
ADV. ORDINAR.

PATRONO AC PRÆCEPTORE SVO AD CINERES

VSQVE SVMMAM OBSERVANTIA  
DEVENERANDO,

D. 24. MAY. MDCCXXI.


PUBLICÆ DISQUISITIONI SVBMITTIT



**CAROL. MICHAEL STRASBERG**  
HAMBVRGENSIS LL. CVLT.

---

J E N Æ,  
LITTERIS MÜLLERIANIS.



## EXERCITATIO DE RERUM DOMINIO.

§. 1.

**S**ocialitas fere tota supponit res, quæ vel Utilitas alteri humaniter indulgenda sunt, vel tractatio-  
nis. non eripiendæ, vel pectorum objectum  
constituunt: prout ipsa decori justique,  
tam negativa, quam affirmativa præcepta id ostendunt. Unde non inutile est separatim disquirere de rerum dominio, ut constare possit, quid ipse quis in ea re juris habeat, & eo rectius apparere, quid alteri præstari vel possit vel debeat.

§. 2.

Rerum quidem statum pristinum ratio sibi re- Difficul-  
licita absque historicorum monumentis non nisi tas.  
conjecturis assequi videtur, (a) & sic difficilius de-  
terminari posse, quid de rebus earumque dominio  
originetenus dicendum sit. (b)

(a) Vid. illustr. DIL. LUDVIVG Germania princeps p. 17. not. c.

(b) De Dominio prima omnium fuit lis inter Cainum & Abe- Prima lis  
lem, si quidem fides est R. MOSI ALBILDÆ cuius verba PFLIE- de domi-  
FER in exerc. in S. S. 1. hæc citat: Lind da sie nun waren auf den nio.

Feld, da kriegten sich die zwey Brüder mit einander, sie sagten:

Lasset mir theilen mit einander die Welt, der ein sagt: Die Erd,  
wo du drauff bist das ist mein Erd, und sagten also, und kriegten  
sich. Der eine sage, in meinen Chelec (Theil) soll siehen das

## EXERCITATIO

Beth hammikdasch (der Tempel) und der ander sagt auch also, und kriegten sich (disputirten) miteinander. Denn es ist gehohren worden mit Hebel dem jüngsten Sohn zwey Töchter seine Schwestern. Da sagt Cain, ich will nehmen die übrig, ich bin einmahl ein Bechor (Erstgeböhrner) und Hebel sagt, dieweil sie mit mir gehohren ist worden, wil ich sie zum Weibe nehmen.

### §. 3.

Ratio ab initio nul lum agno scit do- unius, (c) quia dominii ne quidem capax est unus, minium. Hic tamen ipsa & sola ratio sibi persuadere non potest ab initio fuisse aliquod dominium, sive plurium, quia id conventionem (d) tam dominium acquirentium, quam ab eo recendentium (e) supponeret.

A lege do- (c) ut vult HOECHSTETTER Exerc. VIII. §. 2.  
minium (d) Vel legem. Sed hanc multo minus ratio percipit, quia  
non ortum naturalis non est: a positiva abstrahit, imo eam unquam  
est. datam esse non credit, cum alias iniquissimum fuisse, ab ea lege recedere.

nec a com- (e) Et sic ex uno falso supposito necessario fluenter plura rationi pariter incredibilia, a communione enim recedi non potuisset, nisi per divisionem: divisio supponeret conscriptos esse ad unum locum & tempus totum genus humanum: divisa esse non visa &c.

### §. 4.

Sed id fu- Et in genere ratio non potest invenire ullam  
perveni- dominii rationem (f), sed quocunque se convertat,  
se. videt dominium supervenisse; ante dominium res  
fuisse absque dominio, hoc est nullius.

Commu- (f) Neque extricant rem; sed magis intricant, qui distinguunt in-  
nio positi- ter communionem positivam, qua res quoad proprietatem &  
va & pri usum sit communis, & privativam, qua proprietas nullius sit,  
vativa. usus

## DE RERUM DOMINIO.

usus omnibus pateat vid. PUFEND. de J. N. G. Lib. IV. cap. 4. Praeterquam enim quod quodammodo jam concedunt res nullius fuisse, non apparet quomodo communis usus factus sit, unde potius jus utentis, quamdiu utitur, unde idem jus alterius, si non utitur, & in genere obstant omnia dubia hujus & praecedentis paragaphi.

### §. 5.

Si revelationem conferas, primamque terrarum orbis historiam, in ea sententia confirmaris. Nam & omnia adfuerunt domino nondum creato, & sic certe tum nullius; partim postea licentia in dominium redigendi (g) concessa est, & sic non adfuit ipsum dominium.

(g) Genes. I. 28.

Revelatio  
tio con-  
fertit.

### §. 6.

Si vero supponas res omnes ab initio fuisse nullius, hominem vero sine usu rerum vivere non posse, necessario est, ut asleras, coepisse hunc vel illum hoc vel illud possidere.

### §. 7.

Possessio omnis facti est (h) & denotat deten- tionem cum animo sibi habendi.

Possessio  
quid.

(h) Frustra videntur esse, quotquot possessionem ipsam pro specie juris habent, & multo magis Legum civilium Ddres, qui eam annumerant juri in re. Jus in re enim supponit semper aliquam proprietatem, in possessione vero nihil plane est proprietatis, unde toties contradistinguuntur, proprietati, ut plane nihil commune inter se habere dicantur L. 12. §. 1. de Acquir. vel amitt. possess. Interim circa eandem rem concurrunt s̄pē factum possessionis, & jus aliud,

A 3 quale-

## EXERCITATIO

qualecunque illud demum sit, quo pertinet L. 49. §. 1. 20d.  
& sic ex jure, quod cum possessione concurrit, datur actio,  
quam illud jus alias producit. Possessio autem per se actionem  
non producit, sed per accidens, quando alter turbat  
sine jure, quod fluit ex Exerc. præced. & declarabitur in  
sequentibus.

### §. 8.

Possessionis ef-  
fectus.

Sic vero possidentem extraneus depellere num-  
quam potest, nisi ostentat jus aliquod depellendi,  
quod hic ostendi nequit, dum supponimus rem  
ante fuisse nullius. (i)

*Interdicta* (i) Hinc ergo etiam in interdictis possessoriis proprie dictis  
non opus est provocari ad aliquod jus, unde illa orientur.  
Oriuntur enim potius ex defectu juris in altero, ut non  
turbare queat alter, atque res maneat in statu quo.

### §. 9.

etiam si  
non adsit nu-  
semper tenere, vel pedibus iis insistere, sufficit  
amplius durare animum rem sibi habendi, licet non actu  
actualis defensio. detineatur, neque hoc casu alteri competere jus rem  
auferendi. (k)

(k) vid. Dr. THOMAS. ad Huberum lib. 2. Sect. 4. cap. 2. p. 455.

### §. 10.

Argumē-  
tum ab  
occupa-  
tione ad  
domini-  
um. (l)  
*inexhaus-  
ta utilitas* (l) Alii hic provocant ad inexhaustam utilitatem vid. PVFEND.  
lib.

## DE RERUM DOMINIO.

*lib. 4. cap. 5. §. 2.* Sed ea sola nullum præbet argumentum,  
cur dominii capax res non sit, & ipsa flumina aliaque inex-  
haustæ utilitatis sunt, & tamen in dominio.

### §. II.

Manserunt ergo ob defectum occupationis multa  
multa nullius, (m) licet omnes iis utantur, & uti  
possint, vel ideo quia nemo potest usum interdice-  
re, quia nemo habet dominium.

Multa  
manserat  
nullius.

(m) Qui ab initio adfuisse communionem contendunt, hic  
operose provocant ad rationes, cur hæ res manserint in  
communione, nec divisæ sint. Sed ipsi has res fatentur  
esse in communione privativa, quæ propria non est; nec  
opus est disputare, cur res manserit ibi, ubi eam fuisse  
nondum solide ostensum est.

### §. 12.

Pertinet huc imprimis Mare, quod, quatenus  
(n) occupari potest, etenim est dominii capax. Ex-  
empla sunt in maribus particularibus, item in par-  
tibus oceanii, littoribus adjacentibus, vellocis maris,  
ubi piscium genus, vel alia res pretiosa copiose in-  
venitur. Dominii autem capax non est, quatenus  
non occupationis, quod asserendum omnino de in-  
tegro oceano.

Maris  
dominiū.

(n) Ut magis videatur facti quæstio, quam juris.

### §. 13.

Acquisiti autem dominii facilissima notio est, Domini-  
quod sit jus in ipsum corpus ejusque usum. (o)

um quid?

(o) Nec opus est hic provocare ad solum jus civile, quod fa-  
cit BYNCHEERSHOECK de dom. mar. c. 1. p. 3., cum alias inter, Non est  
gentes his meri.

## EXERCITATIO

gentes superiorem , & sic jus civile non agnoscentes , non possit de dominio disputari. Solent interim Belgæ plerique , licet diversis modis id tentare , ut cum imperium suum ex notissimis rationibus politicis amplificare non cupiant , aliorum tamen dominium suum modo restringatur.

### §. 14.

Dominii partes. Duæ ergo veluti partes sunt , quibus omne dominium continetur (p) : Proprietas , quaे in ipsum corpus competit , & Uſusfructus , qui in fructus . (q)

Num jus excludendi. (p) Nec opus videtur ut præcise definiatur jus excludendi alios ; hoc enim fluit ex dominio , non est ipsum dominium. Unde multo minus opus est ut cum HERTIO ad Puffend. Jus Nat. & Gent. lib. 4.c. 4. §. 3. & BAYERO jur. nat. c. 20. §. 19. seqq. disputemus , num Adamus jam tum dominii capax dici potuerit , cum solus extiterit.

Uſusfructus ab ijsu hic non differt. (q) Nollem enim hic distinguere usumfructum & usum in sensu juris civilis , cum ne quidem ad idioma Germanicum satis applicari poscit illa distinctio. Unde si legatus sit der Gebrauch , ex regulis hermeneuticis videtur verius intelligi usumfructum , quam usum , ut decidit ipse CARPOVIVS. Part. I. decisi. 69. n. 21.

### §. 15.

Ex proprietate fluit jus disponendi. Ex proprietate ergo fluit , quod dominus disponere possit de ipsa re , sive ea sit animata (r) sive inanimata , sive mobilis sive immobilis , neque hic opus est probatione licentiæ , cum , qui tale quid non licere asserit , probare debeat prohibitionem.

Animalium destruatio licita. (r) Obstatre hic in primis destruptioni & occisioni animalium arbitrantur nonnulli i) quod ex plerisque alia ratione utilitatem percipie possumus v. g. dum vivant lac , lanam , ova , dum moriantur pelle & coria. Sed ne dicamus , a plerisque animalibus non posse formari argumentum generale;

## DE RERUM DOMINIO.

rale; esse multa, a quibus vivis vel nullum, vel exiguum usum capiamus; de mortuorum pellis non esse in pari pretio ac casorum; id unum sufficit, positionem unius, non esse remotionem alterius, usum minorem non excludere maiorem. 2) quod necessitatibus consuli possit etiam citra *νοσοφαγίαν*. Sed hoc si sufficeret, natura paucis admodum contenta est, adeoque sufficeret panis & aqua, nec vegetabilia licet consumere, aut lacte, lana, ovis uti. Deus vero non voluit tantum ut vivamus, sed & ut commode vivamus. 3) Quoad animalitatem magnam esse inter homines & ista cognitionem. Hoc enim negasse sufficit, & sapit quodammodo principium vel Stoicorum, qui rationem brutis tribuebant, vel Pythagoraeorum, qui humanas animas in animalia transmigrare statuebant. Cognatio nulla est. Sunt quidem communia homini cum brutis, sed sunt etiam cum vegetabilibus. 4) Post diluvium demum carnium usum permisum esse. Respondeatur: Hoc ad revelationem pertinet & acceptamus permisum esse, imo hinc appareat eum non esse contra jus naturæ, quia alias permitti non potuisset. Sed ipsam thesin hanc satis dubiam reddidit Dn.  
*Danz peculiari dissertatione de Creophagia ante diluvium licita.*

### §. 16.

Ex eadem proprietate fluit jus ubicunque (s) *Jus vindicandi*,  
persequendi (t) & vindicandi tam rem ipsam,  
quam ea quæ ex re extant.

(s) Licet detentor nunquam antea visus sit, quæ differentia, *Differentiæ realium & personalium actionium*, eriam in jure naturali *tia actionis* fundata est, quia ex fundamento agendi fluit, quod si est *num per dominium*, non disquiritur, quis sit possessor, si sit pactum *sonalium*. necessarium est, ut alter nobiscum pactus sit.

(t) Ante dominii persecutionem num obligatus sim ad redendum disquiritur. Ubi quidem obscurius casum format *Obligatio b. f. posses* *PVFEND. de O. H. & C. lib. 1. cap. 13. §. 2.* ubi dicit: quando *soris*. res aliena ad nos pervenit sine nostro crimine, & bona *nostra*

## EXERCITATIO

"nostra fide, eamque adhuc in nostra potestate habemus,  
"tenemur efficere: quantum in nobis est, ut illa in potesta-  
"tem legitimi sui domini redeat. Quod si enim supponit b.  
f. possessorum, non opus est, ut is de alio domino cogitet,  
multo minus ut efficiat, quo res in alius potestatem transeat,  
sed potius b. f. tribuit tantum quantum dominum l. 136. De  
R. J. BARBOSA thesaur. lib. 2. c. 18. §. 4. Id tamen apparet ex dictis  
exerc. V. quod simulac quis scit, rem alterius esse, non pos-  
sit habere animum rem sibi habendi.

### §. 17.

Pretium Non autem extendi hoc potest ad pretium rei  
vel fru- alienatæ (u) ne quidem ut pro re consumta detur  
ctus con- tantum, quantum alter factus est locupletior, nec  
sumti nō possunt ad fructus consumtos (v) in quantum factus est lo-  
vindicari. cupletior.

Dissentien- (u) Dissidentes rationem nullam allegant, nisi aequitatem ad  
tum ar- quam provocant ipsi Legum civilium Dd. cum tamen contra omnis juris analogiam sit hæc cerebrina aequitas. Neque enim suum invenit actor, de re ipsa non queritur, pre-  
gumenta. tium actoris nunquam fuit. vid. *Dn. de LYNCKER in anallett.*  
ad ff. de R. V. tb. 13. Non sufficit, quo nimium multi abutun-  
tur, canon: Nemo debet locupletior fieri cum damno alte-  
rius. Nam huic oppono alium canonem: *Quod unius ge-*  
*neratio si alterius corruptio, nec sensus prioris est absolu-*  
*tus, sed de dominio ejus dolo vel culpa illato, qui locu-*  
*pletior sit, quod hic cessat. Manifesta potius appetit ini-*  
*quitas, simulac supponas plures ejusdem rei possessores lo-*  
*cupletiores. Neque enim tum a pluribus petere potes*  
pretium, quia alias ultra rerum pretium reciperes, neque  
ab uno, quia nemo magis quam alter obligatus est.

(v) Ad fructus modo dicta omnia applicanda sunt. Prater-  
ea vix dici potest, quantum locupletior factus sit, partim  
quia antecedit cura, que commode non potest extumari,  
partim

## DE RERUM DOMINIO.

partim quia non constat, num tantum consumisset, si alienam rem esse scivisset.

### §. 18.

Porro ex proprietate fluit non tantum jus rem mutandi, sed & percipiendi omnia accessoria, tandi.  
(x) hoc est, ea, quæ rei principaliter ita juncta sunt, ut separari commode non possint.

(x) Non ergo opus est ut peculiaris modus acquirendi dicatur accessio, multo minus, ut in varias species dividatur.

### §. 19.

Accessoria vero sunt non tantum, quæ extrinsecus ad rem accedunt, cuius exempla præbent alia. Acces-  
securio  
luvio, coalitio, insula, adjunctio, inædificatio, plan-tatio, satio, sed & quæ intrinsecus ex re proveniunt, v. g. foetus, thesaurus.

(y) Non negamus ex his quedam fieri privati, quedam publici juris, sed ea differentia facti est, & dependet a natura rei principalis. Latius id persequitur Dn. VOLFF in *inst. jurisprud. nat. P. 2. seçt. 1. c. 8. §. 31. seqq. EBBER de jur. civ. lib. 2. sect. 4. cap. 4.*

### §. 20.

Si tamen accessorium ante sub alterius dominio fuerit (z merito illi rei pretium tribuitur. Dominus pristinus

(z) Quod ut omnia fundamenta actoris probandum est, unde non nisi accidentalis differentia inter alluvionem & coali-tionem &c. pretium repetit.

### §. 21.

Cumque universaliter hoc obtineat, in quibusdam saltim dubium est, utrum sit principale, fit acces-

EXERCITATIO

utrum accessorium; quod imprimis contingit in specificatione, scriptura & pictura, ubi ante omnia attendendum quæ res sit fungibilis, (a) & ea pro accessoria habenda.

(a) *Vid. late Dn. THOMASIVS in dissert. de pretio affectionis in res fungibles non cadente §. 38. seqq.*

§. 22.

Ad Usum pertinet A proprietate ad usum transeamus. Ad hunc jus fru- pertinet jus fruendi, ut nemo in eo turbari queat. (b)

(b) *vid. PUFEND. de J. N. G. Lib. IV. c. 13. §. 1. conf. Exercit. V.*

§. 23.

Emolumen-menta perci- pendi. Nec non jus omnia emolumenta (c) quæ res fert, percipiendi.  
(c) Generaliter quidem emolumentorum nomine ipsa etiam accessoria venire possunt, hic vero specialiter intelliguntur, quæ manente eadem substantia, percipiuntur.

§. 24.

Occupatio-hodie rario-r. Hæc vero, de qua hactenus egimus, occupatio, hodie rario-r est; partim quia fere omnia suos jam habent dominos, partim quia in iis, quæ adhuc occupari possent, a principe restricta est occupandi facultas. (d)

(d) *Dissensus juris civilis hic mirus non est, cum ejus stamna debeantur reipublicæ liberæ. conf. Dn. GRIBNER jur. nat. Lib. 4. cap. 5. §. 2. n. 3.*

nisi re derelicta.

§. 25. Fieri tamen adhuc potest, ut res quæ in domino

DE RERUM DOMINIO.

minio est; fiat nullius, & sic ab alio occupari pos.  
sit, cessante scilicet dominio, hoc est per derelictio-  
nem, modo probetur animus derelinquendi.(e)

(e) Ob dicta si 9. unde aliud dicendum in bonis naufra-  
gorum, licet & ibi excusari possint dispositions statutaria  
contraria vid. Dn. GYNDLING via ad Veritatem Part. 3. cap. 21. di  
§. 28. sq.

§. 26.

Sed etiamsi occupatio penitus cessaret, fre-  
quentissimus tamen est modus acquirendi domi-  
num, quem derivativum appellant & eo ipso effe-  
ctum dominii esse agnoscent.

Acquisi-  
tio domi-  
ni deri-  
vativa.

§. 27.

Cum enim ex proprietate fluat jus disponendi, Transla-  
sequitur dominium transferri a quocunque domi-  
no posse, & sic per hanc translationem ab altero  
dominium acquiri. (f)

Transla-  
tio.

(f) Neque hic opus est distinctione rerum in corporales vel  
incorporales, mobiles vel immobiles.

§. 28.

Cumque hic tertius nullum jus habeat, domi-  
nus pristinus vero in gratiam novi animum sibi ha-  
bendi omittat; videtur sufficere declarari animum  
transferendi, non requiri actualem traditionem. (g)

Sufficit a-  
nimus  
transfe-  
rendi de-  
claratus.

(g) *Dissentit COCCLEIVS peculiari dissertatione cui titulus: an tra-  
ditio necessaria sit ad transferendum dominium.* imprimis urget  
§. 7. non posse nos re frui, eamque nostris usibus applica-  
re sine traditione, qua res illa nobis praesens fiat, & in no-

rum opus  
traditione

## EXERCITATIO

stra custodia sive potestate constituantur, ut corporaliter apprehendi a nobis possit, qui actus dicatur traditio. Quo minus tamen in ejus sententiam transiverimus, ea ratio effecit; quod si sermo sit de praesentia rei propria, & facultate, eam corporaliter apprehendendi, nullo modo, vel tempore momento impedita, ea opus esse nondum probatum sit. Si vero sufficiat rem praesentem fieri posse vel ab alio exigi, non appetet cur dominus sim, etiam si commodatarius rem apud se habeat; non sim, si is qui dominus fuit, animum vero sibi habendi dereliquit. Nec videtur sufficere quod dicitur §. 10. commodarium esse, quasi instrumentum quo nos ipsi teneamus. Nam neque ea comparatio indubia est, & eodem jure pristinus dominus potest instrumentum dici.

### §. 29.

Transfertur autem aliquid vel gratis, vel pro alia re, & sic ortum est pretium ex rerum comparatione.

### §. 30.

Necessarium id maxime fuit, quia partim officia humanitatis tam arce non adstringunt, ut gratis ab aliis omnia expectare possimus, partim, quia multiplicato genere humano, omnibus talia officia humanitatis prestari non possunt, partim denique, quia omnia fere per ante dicta in dominium transferunt, ut res nullius vix supersint. Unde invitandi fuerunt alii ad dandum vel ad faciendum. (h)

(h) Apparet hinc simul, num communio bonorum quae in priuata eccllesia fuit, durare potuerit numero Christianorum multiplicato; & num effectum unquam sortiri possat pia quonundam desideria.

### §. 31.

DE RERUM DOMINIO.

§. 31.

Ex comparatione vero rerum dum pretium Omne  
ortum ostendimus, apparet omne pretium esse ex- pretium  
trinsecum. (i) Licit enim varia causa impulsivæ extrinse-  
cunt  
sint, quibus moveamur ad acquisitionem rei, ta-  
men illæ per se pretium non constituunt, sed tum  
demum, quando nos movent, ut aliam rem no-  
stram illi postponamus, vel saltim æquiparemus.

(i) Seu formale, ut sic non detur pretium intrinsecum seu  
virtuale absque impositione hominum vel comparatione intrinse-  
cum aliis. Sed ea omnia quæ hic prolixè disscripsi- cum proti-  
ostendunt utilitatem rei, non pretium. Unde nec mirum  
dari res utilissimas, quibus nullum pretium impositum in-  
telligitur, de quibus PUFEND. f. N. G. lib. 5. c. 1. §. 5. & con-  
tra dari res, nullum usum præbentes, & tamen pretiosissi-  
mas.

§. 32.

Intenditur aut remittitur pretium pro cupidi- Pretii in-  
tate (k) hominum, ut quæ intrinsece attingetur, vel tensio vel  
remittitur, per omnia temperamenta, (l) extrinse- remitto.  
ce vero pro variis circumstantiis v. g. necessitate,  
artificio, raritate, (m) opinione, periculo, loco,  
tempore belli vel pacis, modo venditionis, (n)  
qualitate contrahentium &c. Alio vero pretii fun-  
damento opus non est.

(k) Tam generali multorum vel plurim hominum, de qua Cupiditas  
hic imprimis sermo, quam speciali illius, qui emit vel hominum.  
vendit, quo pertinent dictaria: Eine jede Sache ist so viel  
werth, als ein reicher Narr dafür giebt. Wenn die Thoren zu  
Markt.

## EXERCITATIO

Marchte gehen, kauffen die Kramer Geld. Unde canon vulgaris, quod naturaliter liceat contrahentibus se circumvenire; non restringendus est ad dimidium pretii, nec explicandus de dolo, sed de pretii certitudine per solam conventionem determinanda, ut cum nemo cogatur ad emendum vel vendendum, possit emtor offerre pretium, licet minimum, sed alter possit etiam retinere: Similiter possit venditor exigere pretium, licet maximum, sed alter rem ipsi relinquere *conf.* *Dn. THOMASIVS de EQUITATE CEREBRIS* l. 2. C. de Resc. Vend. alias in hoc canonedefendendo prolixus est *MESTERTIVS de just.* Rom. Legum lib. 2. dubit. 28.

*Augetur  
pro diversitate semioramenti.*

- (l) Unde frustra alii ad solam ambitionem provocant, cum luxuria & lucri cupiditas idem possint efficere, imo hinc appetet, quod v. g. fundum unus estimatur sit a deletione venationis, pescationis &c. alius ab annexa jurisdictione alta & bassa, alius a decimis rei debitis &c.
- (m) Non ergo sufficit quæ ab aliis adducitur raritas nisi quaténus ipsam cupiditatem anget, quod semper non facit, multo minus sufficit nobilitas &c.
- (n) Ubi tam quantitas rei venditæ attenditur, quam impensis pacta adjecta, tam addentia quam detrahentia.

## §. 33.

*Legiti-  
mum pre-  
mien.*

Legitimum enim pretium, quod vel excessum (o) vel defectum, (p) vel utrumque excludit, juri naturali plane non cognitum est, & rarius in ipso Statu civili. (q)

- (o) Ut si in gratiam emtoris tantum determinatum pretium, ubi venditor potest minus accipere.
- (p) Ut si in odium monopoliorum determinatum, ubi emtor potest plus dare.
- (q) Et in hoc ipso princeps ex prudentia legislatoria attendit cupiditatem hominum.

## §. 34.

DE RERUM DOMINIO.

§. 34.

Sed cum difficilior (r) esset hæc exæquatio rerum inter se, magno societatis humanæ emolumento (s) inventum est pretium eminens, quo & alia res æstimentur, & mediante quo diversæ res inter se facilius comparentur.

Pretium  
eminens.

- (r) Cum non semper accideret, ut cum tu haberes, quod ego defiderem, ego invicem haberem, quod tu velis accipere.  
*l. i. ff. de contrab. empt. quæ ipsa fundamentum nostrum pretii, cupiditatem hominum, confirmat.*  
(s) Dissentunt fere omnes fictarum rerum publicarum scriptores, qui vel plane omnia omnibus æquo jure patere volunt, vel sinum cuique ira tribuant, ut omnia permutationi relinquant, venditionem & nummos exterminent. add.  
*PLINIVS hist. mundi lib. 33. c. 1. in princ. SOLINV S c. 25. GVEVAR-RA lib. 2. cp. 16.* Sed tollatur quantum fieri potest abusus, qui non ex nummo, sed virtu hominum accidit; maneat usus ita luculentus, ut non egeat probatione.

Nummi  
vituperia.

§. 35.

Necessum fuit in hunc finem eligi materiam, quæ non facile deteratur, (t) formam recipiat, (u) Materiæ  
dividi commode possit, (v) & quidem ita ut partes simul sumtae toti æquipolleant, (x) imprimis nummi.

- verò quæ cum his omnibus rarior sit, ut cupiditas hominum movere possit.  
(t) Tam ut commode ab uno loco in aliud portari queat, quam ne usū pretium minuatur, unde vegetabilia &c. excludentur.  
(u) Ut uno veluti intuitu pretium appareat, non opus fit singulari peritia, unde lapides, licet pretiosissimi, inepti sunt,  
(v) Ut præcise pretium determinatum confiant, unde iidem lapides inutiles sunt.

C

(x) Cum



## EXERCITATIO

(x) Cum alias præcedens finis vix obtineri queat, unde v. g. gemma aestimatur ex magnitudine, & divisa ne quidem vigesimam partem valoris habet.

### §. 36.

Metalla nobiliora Vix hæc omnia requisita invenientur in alia materia quam in metallis & quidem nobilioribus

(y) Unde apparet & hæc eligenda fuisse, & maxime noxiū rebus publicis, si innotesceret ars conficiendi aurum, (z) cum non suppetat alia materia, quæ in locum ejus substitui queat. (a)

(y) Nec videtur utile institutum Lycurgi de quo PLUTARCHVS  
*Lycurgi institutum* "in vita. p. m. 31. Monetam omnem auream & argenteam  
"antiquavit, soli ferro autoritatem tribuit, ejusque magno  
"ponderi & moi exiguum assignavit pretium ut occuparet  
"decem minarum summa, amplum in ædibus armariis &  
"plaustrum duorum boum ad vehendum. Hoc corollario  
"multæ scelerum formæ sunt Lacedamone ejæctæ. Nam quis  
"furari, quis venalis muneribus esse, quis defraudare aut  
"rapere sustineret id quod non posset tegi, cuius nemo esset  
"possessione beatior, sed nec conflatum ullum usum præstaret. Responso peti potest ex §. 34. & 35.

(z) Vid. Dn. EUDDEI differt. an alchymiste sive in republ. tolerandi  
*Vitrum flexibile.* in primis §. 26.

(a) Hinc frustraneus erat metus Tiberii, cum ipsi offerretur flexibile vitrum, ob quem tota officina artificis obliterata, ne scilicet aris, argenti, pretia detraherentur vid. PLINIVS lib. 36.  
e. 26. RHODINGIVS lib. 20. cap. 30. quanquam ipse Plinius crebriorem, quam certiore famam illam dicit.

### §. 37.

*Ex hac te-* Hæc si supponantur, nihil amplius obscurum  
nus di- esse potest in dominii translatione, si modo addas  
Etis deri- generalia paectorum præcepta, (b) de quibus actum  
van n:o est

## DE RERUM DOMINIO.

est exercitatione præcedenti; nec opus videtur fin-  
gulos contractus operose evolvere, (c) licet non pl-  
ne inutile nomina enarrasse.

(b) Unde caput de contractibus, in quo prolixus est PUFEN-  
DORFII, supervacuum censet Dñ. THOMASIVS *Jurispruden-*

*tia divina lib. 2. cap. 11. §. 18. & post eum multi alii. 1001*

(c) Partim ne studiosi Juris in jure ad rem singulis titulis  
alia & inter se penitus diversa expectent vel metuant, par-  
tim ut Studiosi altiarum Facultatum aliqualem habeant no-  
titiam commercii humani.

### §. 38.

Si ergo gratis aliqua res transferatur, nego. Donatio-  
tum sive contractus (d) appellatur DONATIO.

(d) Nulla ratio est cur donationem contractibus contradic-  
stinguant vid. PUFENDORF. de O. H. & C. lib. 1. c. 12. §. 14. tractus.  
cum tamen in ipsis contractibus ament divisionem in be-  
neficos & onerosos. vid. PUFEND. c. 1. cap. 15. §. 2. Nisi &  
hic subest imitatio Romanorum, qui in Catalogo contra-  
ctuum omiserant donationem, & sic variis solennitatibus  
pro diversitate temporum implicabant, donec tandem effi-  
ceretur pactum legitimum, de quo plura in *dissentat. de*  
*presentia principis* §. 34. Hinc ergo interpretes non ubi  
decebant, hoc est in jure ad rem, sed ibi, ubi de jure in  
re agunt, immiscerent donationem, sub prætextu, quod sit  
modus acquirendi; Verum sic omnes contractus sunt modi  
acquirendi.

### §. 39.

Pro pretio si transfertur rei dominium plurium, Emtio.  
vel datur pecunia, & sic dicitur EMTIO, (e) vel alia res, Permuta-  
sic dicitur PERMVTATIO.

(e) Ut in hac prolixe tradantur pacta adjecta, opus non est, cum *Pacta emti-  
ea in aliis contractibus æque sint frequentia, quam in hoc, & tioni adje-  
cuma una omnium regula sit: ita conventum ita juris, imo ita.*

EXERCITATIO 30

paecta, quæ peculiaribus frum. titulis enarrantur, scil. AD-  
DICTIO IN DIEM, & LEX COMISSORIA, in praxi longe rariora  
sunt quam alia, quæ vel plane omitti, vel tamen vix nomi-  
nari solent.

§. 40.

Uſusfru-  
Etus.  
Dominī-  
um utile.  
MINIO VTI LI.

Proprietas sola, vel (f) ſolus uſus transfertur in  
VSVFRYCTV, pars proprietatis cum toto uſu in DO-

(f) Prout ſcilicet dominus ſibi vel proprietatem vel uſumfru-  
tum reſeruat.

§. 41.

Commo-  
datum.  
Manda-  
tum.  
Deposi-  
tum  
Locatio.

Solus uſus rei transfertur in COMMODOATO,  
operarum in MANDATO, ſub quo comprehendi  
commodè poteſt DEPOSITVM (g); Pro mercede  
vero uſus transfertur in LOCATIONE CONDV-  
CTIONE.

(g) Ut ſic evitentur variae lites v. g. num immobiliū ſit de-  
poſitum. Effectus in ipſo jure civili eſt ſatis exiguius, ſi mo-  
do rite evolvatur doctrina de praftatione culparum. Mu-  
to minus opus ut ſpeciatim agatur de DEPOſITO MISERABILIS,  
cum vix in jure civili uſus ſuperſit, ceſſante actione in-  
duplum.

§. 42.

Mutuum  
Uſuræ.

Uſus hic quandoq[ue] principaliter quidem in-  
tenditur, ita tamen ut a proprietate vix separari po-  
ſit, ſi nimis res detur ita, ut in eodem genere  
reddatur, (h) quod dicitur MVTUVM, & tam gratis  
conceditur, quam pro VSVRIS, quas jus naturæ non  
reprobatur, licet decorum moderamen inculcat.(i)

(h) Qui

DE RERUM DOMINIO.

(h) Qui enim objecta quedam absolute ad mutuum, alias ad commodatum referunt, infinitis se tricis implicant, quæ evitantur facilime, si & hic attendantur generalia pactorum & quod actum sit videatur.

(i) Latius de hac re egī in *dissent. de processu liquidationis cap. 3.*  
§. 9. sqq.

§. 43.

Si plures simul de re aliqua paciscantur ap- Societas.  
pellatur SOCIETAS, quæ a communione hic non  
aliter dissent, quam quod communionis vox quan-  
doque late tribuatur iis, qui citra conventionem rem  
communem habent. (k)

(k) v. g. ex hereditate, legato, de quibus ipsis tamen mox  
agendum.

§. 44.

Tacite transfertur dominium in VSVCAPIONE Usucapio  
cum unus per diutinam (l) negligentiam rem de-  
relinquit, alter per possessionem ab illo non inter-  
ruptam rem apprehendit, (m) ut sic ab occupatio-  
ne hic modus dijudicari queat, huc tamen refera-  
tur, quia res proprie non fit nullius, ob statim præ-  
sentem possessionem alterius. (n)

(l) Hoc ipsum tamen requisitum in puncto determinari ne- Tempus.  
quit, licet certum sit, non sufficere tempus tam breve, ut  
dominus scire non potuerit me rem possidere, certum etiam  
sit, sufficere tempus, cuius memoria non extet, & cum hoc  
coincidere fere spatum centum annorum, quod ideo inter  
gentes respici solet. vid. Dn. WERLHOF in *Vindictis Grotiani*  
*dogmatis de prescriptione inter gentes liberas contra Purcanum S-*  
*s. sqq.*

## EXERCITATIO

*Requisita* (m) Ex requisitis ergo juris civilis, quæ uno hoc versiculo  
juris civi- complexus sum, ut adesse debeant  
llo.  
res *habilis*, *titulusque*, *fides*, *possessio*, *tempus*:  
jus naturæ priora tria non attendit, imo nec ipsum jus ci-  
vile, nisi in iis usucaptionibus ubi brevius tempus sufficit.  
(n) *conf.* WERLHOF c. l. §. 12. & 13.

### §. 45.

*Accessio-* *Accessoria* horum contractuum pariter gene-  
*tia.* ralia sunt, & ex doctrina pactorum facile evolu-  
tur.

### §. 46.

*Fidejus-* Hinc ex arbitrio partium dependet quibus  
*fio.* modis se maxime securum arbitretur, & tum ea quæ  
promissa sunt servanda veniunt, imprimis eum in  
finem constitui solent FIDEIVSSORES & PIGNORA. (o)  
*Pignus.* (o) *vid. dissert. de processu liquidationis cap. i. §. 1.*

### §. 47.

*Dies.* Neque de DIE vel CONDITIONE aliud hic no-  
*conditio.* tandem, quam quod supra dictum satis est de o-  
manibus pactis. (p)  
(p) *Exerc. VI. §. 26. sqq.*

### §. 48.

*Alea.* Imprimis tamen notabiles sunt conditions  
quæ aleam continent in SPONSIONE, ASSECVRATIO-  
NE, LOTARIA, OLLA FORTVNÆ, LVDIS &c.

*Num ju-* Non possunt illa omnia damnari, nisi ostenda-  
*sp.* tur prohibitio, imo quedam sunt ex his, quibus sta-  
tus

## DE RERUM DOMINIO.

tus civilis vix carere potest. (q) Cavendum vero ab abusu, (r) hoc est, ne peccetur contra alia præcepta pii, honesti, justi & decori.

(q) V.g. Assuratio. Sine hac enim mercatura, & sine hac res publica commode subsistere non potest, & in ea aliisque subest aliqua societas, ut quis alterius commodi & incommodi se reddit participem.

(r) De quo late BARBEYRAC traité du jeu lib. 3. & 4.

### §. 50.

Ex eadem forte conditionum materia, illustrati potest materia TRANSLATIONVM MORTIS CAVSA, tio mortis causæ alias difficulter ad dictamen rationis referri potest, & a dispositione juris civilis plane aliam formam accepit. (s)

(s) De solemnitatibus ergo plane nulla quæstio, nec de differentia m. c. donationum, testamentorum, fideicommissorum, codicillorum.

### §. 51.

Videtur enim etiam naturaliter firmum si quis Numma sit. alteri promittat 1. sub conditione, ut ante mortem nihil transferatur (t) 2. sub conditione nisi revoce- tis. (u)

(t) Cujus alia exempla sunt in donatione inter vivos in causa mortis suspensa, de qua uberioris Ddres juris civilis,

(u) Nam & hujus frequentia exempla alia in additione in diem, L. commissoria, pacto retrovenditionis &c.

### §. 52.

Duo tamen hic imprimis dubiam mentem Cum deficere videatur acceptatio; Sed ea non deficit. Nec enim receptatio.

qui-

EXERCITATIO

quiritur, ut acceptatio cum promissione uno momento sit conjuncta. (v) Post mortem vero testatoris adest acceptatio, ipsa hereditatis aditio. (x) Ne dicam hæredes, simulac resciscunt commodum sibi oblatum, id acceptare, & ad acceptandum semper promptissimos esse. (y) Plane vero deficiente acceptatione, nemo dicit heredem habere jus. Hinc testamentum destitutum. Hinc etiam quodammodo revocabilitas deduci potest, licet sufficiat præcedens §. 9.

(v) *Vid. Exerc. VI. §. 22.* simile exemplum est in deposito, quod irregulare dicunt, sive potius mutuo nesciente creditore acceptato.

(x) Unde nec opus est ut dicamus punetum mortis ad vitam pertinere, & sic praesentem statim hereditatem deferri, quod olim magis necessarium erat statuere, ob solennitatem aetuum legitimorum, & quia sepius requirebatur promissio & acceptatio statim effectum producens.

(y) Ex quo ipso tamen fundamento Dn. wolff *inst. jur. nat. P. 2. sect. 1. c. 8. §. 33.* secundum regulas honesti & decori testamentorum valorem ostendit.

§. 53.

Res nullius fieri; Alterum quod forte adhuc magis obstat, est, quod quamdiu dominus vivat, nihil transferat, post mortem non sit amplius dominus, & sic non possit transferre. Sed hic videntur mihi magis dubia, que supponuntur, imprimis post mortem omnina bona defuncti fieri nullius (z), quod non potest non maximopere saluti & paci externæ adversari, imo

DE RERUM DOMINIO.

imo & saluti singulorum, cum res nullius cedat occupanti, & sic nemo quiete mori possit, ob tumultus eorum, qui jam occupaturi mortem avidissime expectant, nec est quod successionem ab intestato pro remedio habeas, cum ea necessario cum testamentaria simul corruat, stante tali fundamento.

(z) Etiam hic si opus est urgeri posset in puncto mortis, ubi bona adhuc ipsius sunt, eum transferre.

§. 54.

Aequo dubium videtur, post mortem voluntatem omnem testatoris, etiam quæ ante satis declarata est, expirare. Cum licet voluntas expiret catenus, ut imposterum nihil velle possit, tamen ulterius inde nihil sequatur.

§. 55.

Hoc si admittas (a) facilis erit Successio INTESTATO saltim ratione descendantium (b). Est ab inter enim tum tacita voluntas, qua is, qui extraneum non instituit, eis bona relinquunt, quibus solent omnes homines.

(a) Si non admittas, non opus est ut aliud fundamentum queras, cum eo ipso omnem neges successionem ab intestato, vel tamen ad leges positivas referas.

(b) Hermeneutica regula affectum inspici volunt, cum ergo res defuncti per praecedentia non fiant nullius quamdiu constet de voluntate defuncti, videtur voluisse eum liberos heredes, quia in horum gratiam omnia colligi solent & quodammodo debent, & quia alias potuisse heredes, quos magis amaverit nominare, vel illis pro lubitu donare.

D

§. 56.

## EXERCITATIO

### §. 56.

Nepotū. Neque hic admittentur tantum liberi, sed etiam nepotes & ulterioris gradus; cum ad omnes eodem modo, vel adhuc facilius applicari queant rationes dictæ, licet difficilior determinetur, num in capita, num vero in stirpes admittendi sint.

### §. 57.

Num illegitimi. De illegitimis pariter anceps quæstio est, (c) quæ maxime supponit inferius dicenda de matrimonio. Videntur tamen excludi plane præter intentionem pronati.

(c) Excludit eos CRAMER in Conclus. jurisprud. univers. conclus. 40, admittit BEYERVS Jur. div. c. 22. §. 66.

### §. 58.

Fœminæ. Sexus discrimen hic nullum erit, quod enim in regnis plerumque masculi, & his ipsis primogenitus cum reliquorum exclusione admittatur, aliunde est, nec regnum est hereditas. (d)

(d) De quo agitur plenius, ubi de habitu facultatis civilis disquiritur, imprimis in modis acquirendi imperium.

### §. 59.

In def. Etu de scenden- scendentes an collate- rales. Major difficultas deficientibus descendantibus est, non tam de gradu, cum ex affectu etiam hic præstia num valeat proximior, quam de classe, num ascendentes vel collaterales præferantur (f), vel concurrant, ubi jus naturæ nihil determinat, quia in hac materia tantum interpretis vice fungitur.

(f) Un-

## DE RERUM DOMINIO.

(f) Unde Romani antiquitus præferabant fratres; Saxones ascendentibus; Justinianus utrosque admittit, *vid. Dn. THOMASIVS Jurisprud. divina lib. II. cap. 10. §. 188. & ad Huberum lib. 2. seſt. 6. §. 7.* Et licet BEYERVS his non obstantibus magis faveat parentibus *jur. div. c. 22. §. 70. sqq.* non dubito tamen futuros multos qui cum Dn. THOMASIO *Jurispr. div. c. l. not. r.* magis ad fratres inclinent, imprimis quia parentum favor vel in unum tantum liberorum tantus est ut ab illo uno præ aliis redamentur, a reliquis non item; vel quandoque in nullum liberorum tantus est ut reciprocum sibi amorem polliceri possint, cum potius amor fratrum inter se eo ipso fortiter evadat.

### §. 60.

Ad plane non cognatos autem hæc extendi vel ideo nequeunt, quia amicitiae gradus determinari non possunt, nec ob hominum inconstantiam illa satis est stabilis, accedit quod qui alias heredes velit, eos per dispositionem expressam instituere possit.

### §. 61.

Ipsa vero incertitudo, quæ hic est (g) docet, Incerti-  
quanta futura sit confusio, si plane omnis successio  
& imprimis testandi licentia auferatur.

(g) Et clariss apparet si perpendas non tantum in singulis rebus publicis, sed plane ut nota f. ostensum est in eadem hac de re leges variare.

### §. 62.

Hæc dicta sufficient de dominii translatione Finitur  
& contractuum varietate. Finitur autem obligatio obligatio.  
corum secundum dicta Exexit præced.

### §. 63.

Et sic primo PRÆSTATIONE ejus de quo conven- Præstati-  
D 2 tum, one.

EXERC. DE RER. DOMINIO.

tum, quia supponitur consensus ad præstandum, Solutio hæc solet strictiori sensu. Solemnis vero præstatio non requiritur, & hinc sufficit, jam alteri tantundem præstitum, nec is petere potest quod statim reddere tenetur, unde fluit tota COMPENSATIO. (h)

(h) Hinc denuo apparet *Exerc. I. §. 28.*

§. 64.

Impossibilitate. Deinde IMPOSSIBILITATE PRÆSTATIONIS ob di-  
cta Exercit. præced. (i) quo pertinet MORS ejus, cu-  
jus industria præcise electa erat. (i) §. 37.

Alia con-  
ventione

Denique ALIA CONVENTIONE, quia sic is qui jus ante habebat id ipse remittit vel mutat. Huc ergo spe-  
Etat CONDONATIO DISSENSVS regulariter utriusque, unius tamen, si alter se non obligaverit absolute, sed in quantum alter velit, ut in contractibus gratuitis, item CESSIO si tertius debitör irquisitus, DELEGATIO si irquisitus & consentiens substituiatur. (k)  
(k) Quæ quoad hunc effectum in se non differunt, licet perac-  
cidens applicentur regulæ generalissimæ: Duorum conven-  
tionem fieri salvo jure tertii. Quilibet, adeoque & tertium,  
posse renunciare juri suo.

§. 65.

NumPer-  
fidia.

Perfidia autem alterius non est modus dissolvendi obligationem, aut enim post perfidiam hunc dissen-  
sum alter pariter dissentit, sic est mutuus dissensus de quo §. præc. aut non dissentit, sic potest perfidum il-  
lum adigere, ut fidem datam servet ad quod omnino obligatur.

\* \* \*



**D**um scandis Cathedram intrepide, doctissime  
STRASBERG,  
Nec non defendis specimen hocce TVVM,  
Testis adest certus, cui nil opponere possum  
TE sedulo studiis incubuisse TVIS.  
Perge, ut agis, certo TIBI palma manebit Honoris  
Annuet ex Voto, quod precor, ipse DEVS.

*Gratulaturus Nobilissimo Domino Respon-  
denti pauca haec adjicere voluit Op-  
ponens*

### Johann Henricus Hartleben.

J. U. Doct. & Serenissimi Ducis Saxo  
Isenacensis Consiliarius.

:C

NOBI-

NOBILISSIMO DOMINO RESPONDENTI  
PRÆSES  
NICOLAVS PRAGEMANNVS.

**I**N prima pueritia animo inculcatum memini ex Nepote, non eadem omnibus esse honesta atque turpia. Sed quod is quidem autor ex majorum institutis & locorum discrepantia judicat, id eodem quoque loco, & ut dicam amplius, inter ejusdem conditionis homines observare postea licuit. Nolo a scopo meo aberrare, ista probando prolixius, cum vel hodiernus dies id Tuo exemplo probare possit. Cum enim & in aliis & in hac academia non defint, qui ex sola astate, quam ibi egerunt, laudes determinent; de Te, Nobilissime Domine Respondens, nihil putaverim prædicari posse laudabilius, quam quod non adeo longo tempore nobiscum vixeris. Annum haud ita pridem hic absolvisti, & in illo ipso primum semestre philosophica & historica, qua neque adhuc negligis, tractasti ita, ut rudimentis Juris tum quidem contentus fueris, & sic ne eo quidem impetu, quo alii quandoque solent, Jurisprudentiam aggredi ab initio potueris. Sed altero semestri, coque fere uno, ita omnia Jurisprudentiae non tantum fundamenta, sed interiores quoque recessus perlustrasti, ut sex mensibus plus profecisse videaris, quam multi tot annis: quorum certe major laus vel ideo non erit, quo majus ex Te capere possunt documentum. Certiori hæc omnia scribo fiducia, quia explicatam & exploratam singulorum habeo rationem.  
Neque

Neque enim tantum eo tempore toto Te mihi assidentem  
unquam recordor me desiderasse, nisi unica hora, & ne ea  
quidem sine magno dolore Tuo. Domi, quid repetitioni  
tribuas, non satis depraedicare potuerunt alii, ipse ex dubiis  
quandoque mihi solide motis intellexi satis; evidentius ta-  
men, posteaquam quavis hebdomade cum selectissimis com-  
militonibus jam vel defendis difficillimas juris theses, vel  
impugnas. Sed hodie adhuc impensius gaudeo, dum in con-  
spectum omnium Te producere licet, & Tibi profectuum  
Tuorum publicam approbationem maximopere gratulari.  
Macte, ea esto, qua coepisti, industria. Judicium, quod na-  
tura indidit; elegantiora studia, quæ optimorum præcepto-  
rum, & inter eos ipsius eruditissimi Domini Parentis sedula  
institutio docuit; ad Jurisprudentiam nostram porro appli-  
cato. Sic non Tibi tantum, sed & Themidi mecum gra-  
tulabuntur olim, quotquot erunt integri & æqui judices.

Vale, fave & festinanti calamo ignosce, qui rerum  
veritati & evidentiæ magis studuit, quam  
dictionis elegantiæ.



**Q**ui polit ingenua pectus curatius arte,  
Et lucem sequitur, nec latet ille diu.  
Ipse igitur gazam dum mentis, Amice, recludis,  
Spectator plausus plausibus addo meos.

*Scriebam amoris & amicitiae causa gratulabundus*

**J. G. de Lengerke, Hamb.**  
*Opponens.*

**P**rimicias studii dum pendis Apollinis aræ  
Primitias laudum reddit Apollo Tibi.

*Nobilissimo atque Doctissimo Domino STRASBERGIO  
strenuo Jurium Cultori, Populari atque Amico  
suo summo de acquirendo rerum dominio  
disputatu de acquisita scientia gratulabatur*

**Guilielmus de Hertoghe,**  
*Jurium Candidatus, Opponens.*

**D**u von Deinem Fleiß ein Probstück abgelegt,  
Entsteht in meiner Brust von Freuden, Pflicht  
und Liebe,  
Ein rechter Sammel-Platz, so mit vereintem Triebe  
Den Mund zum Ruhm, das Herz zur Lust bewegt.  
Die Poësie befiehlt, daß ich es schriftlich thu,  
Mein Herz gleichet einer Quell' in der Gedanken Menge,  
Für deren starcen Drang der Ausfluß viel zu enge,  
Drum steh' ich wundernd still, und sage nur Glück zu!

*Hiemit wolte dem Herrn Respondenti seine Egebenheit contesti-  
ren Dessen aufrichtiger Freund und gehorsamster Diener*

**J. S. Berckenmeyer, Hamb.**  
*Opponens.*

*Sonnet.*

## Sonnet.

**D**er Zugend reine Straß hat Hercules erwählet,  
Und das scheinbare Guth der Laster-Straß  
veracht;  
Der selben Schlüpfrigkeit und falsche Lust bedacht,  
Auf jener viele Müh, doch wahres Glück gezählet:  
So wahr als die Geschicht mit Fabeln ist vermählet:  
So wahr ist's, daß Du stets zum rechten Weg getracht,  
Doch du, wann faule Lust Dich schmeichelnd angelacht,  
Doch nie der Zugend-Straß mit Fleiß besetzt, verfehlet.  
Rühm ich Dein sittsam-seyn, Dein klug-geführtes Leben,  
So will Dein Hauf die Stadt ein kräftig Zeugniß geben;  
Will sich mein schlechtes Lob zu Deinem Fleiß fügen,  
So sind schon bessre da, die diesen Punct berührt:  
Drum sag' ich nur, wie dich die Straß so weit geführt,  
Dass Du die Cathedram, der Ehren Berg bestiegen.

Dem Wohl Edlen und Hochgelahrten Herrn Respondenten  
seine Ergebenheit zu bezeigen / fügte dieses hingzu  
Diesen verbundenster Diener

Joh. Frid. Mertens, LL.Cult.

Kedinga-Bremens.

---

**I**n das verschloßne Buch der menschlichen Gedanken  
Sicht zwar kein Auge selbst, als das, so alles sieht;  
Hier findet der schärfste Witz die ihm gesetzte Schranken,  
Der von der Erden auch sonst bis zum Himmel flieht.  
Jedoch der schöne Glanz von Deiner Weisheit Strahlen,  
Die, Hochgelehrtester und höchstvertrautster Freund!  
Um unsern Helicon mit lichtem Schimmer prahlen,  
Macht, daß mir jeder Sinn jetzt ganz erkennlich scheint.

Sa, Deine Wissenschaft läßt mich ganz deutlich wissen,  
Was für Gedanken jetzt in aller Hertzen sind;  
Die Wahrheit wird mir selbst das Urtheil fällen müssen,  
Dass sich mein Urtheil bloß auf lauter Wahrheit gründt.  
Diß ißt, was alle icht in den Gedanken fassen;  
Diß ißt, was jedermann in seinem Sinne führt:  
**Der Edle Strasberg** geht schon mitten auf der  
Straßen,

Die Ihn zum höchsten Berg der Ehren leiten wird.

Hiermit hat dem Edlen und Wohlgelehrtten Herrn  
Respondenten, seinem getreuen und allerwerthehesten  
Freunde, seine Ergebenheit an den Tag legen Des-  
sen aufrichtiger und verbundener Dienst

**Tobias Henricus Schubart,**

Hadelo-Bremens. S. S. Th. St.

**D**ein ausgeräumter Witz und forschende Natur  
Bemühen sich mit Recht auf wahrer Weisheits-Spuhr,  
Du hast den Rechten Dich, gelehrter Freund, ergeben,  
Und nach den Rechten weiß Du auch recht wohl zu leben.  
Du hörest, liest und prüfst; Dein bester Probe-Stein  
Muß dir vernunfft, und dann ein ächter Lehrer seyn.  
So pflegst Du die Natur der Dinge zu erfinden,  
Die Rechte der Natur durchdringend zu ergründen,  
Und schreibst der Rechte Kraft Dir recht mit Nachdruck an;  
Wie Dein gelehrtes Blat diß gnug bezeigen kan.  
Drum wünsch ich Dir mit Recht, daß Du noch auf der Erden  
In Deinem Hamburg magst der Rechte Priester werden.  
Dem Herrn Respondenten/ seinem recht hochgeschätzten  
Freunde setzte dieses mit ergebener Feder

**Johann Christoph Willebrand,**

Lubec. LL. Cult.

Insti-

**I**nstituis recto ad laudes contendere cursu,  
Dum mentis dotes ingeniique probas.  
Sic Temet profers, verum defendis, ut alter  
Quas didicisti artes Te bene scire, sciatur.  
Gratulor ex animo: porro Tua copta secundet  
Divinum numen, suavis Amice, precor.  
Tramite virtutis fortis decurrere perge,  
Ut doctis studiis præmia digna feras.

*Nobilissimo Domino Respondenti, Fautori atque Amico  
suo dilectissimo fausta quævis adprecatus posuit*

## Henricus Wilhelmus Ehrlich,

Altenburgensis, LL. Cult.

**B**eglückte Einsamkeit! die solchen Umgang sucht,  
Wo stille Weisheit Sie, stets heimlich redend, lehrt;  
Und die im Gegenthil die Freundschaft höchst verfluchtet,  
Worinn man Bacchi Rechts- und Sitten-Lehren hört:  
Die Ehre und Glück, so sich bey Dir im Schlaff verbinden,  
Kan solcher Bruder nicht am nächsten Morgen finden.  
Denn die Gesellschaft, so Dein hoher Geist erwehlet,  
Hat der Minerven Brust gesäuget und ernehrt;  
Und weil sich Fleiß und Witz bei Dir schon längst vermählet,  
Vist (wie du Prob-Stück zeugt) Du knüpp' ger Ehren werth.  
Da jenen gegentheils der Ehren-Strohm verlossen,  
Weil sie an dessen statt vom Wollust-Bach gefossen.

*Seinem wertgeschätzten Freunde wolte mit diesem wenigen  
alle Belohnungen seines Fleißes ommiren und sich seit  
nur beständigen Freundschaft empfehlen/ sein zu allen  
aufrichtigen Freundschafts-Diensten bereitwilliger*

J. D. Zernebach,  
Lentzena Prignit. Brandenburg.  
MON-

## MONSIEUR,

L'honneur que j'ai, depuis quelque tems, de jouir de votre très profitable conversation m'a toujours si satisfait, qu'il me seroit impossible de ne Vous pas témoigner la joie que je ressens de voir produire des fruits si meurs de votre diligence. C'est donc, Monsieur, avec un sensible plaisir, que je prens la liberté de Vous feliciter des preuves que Vous donnez publiquement de votre érudition ; Mais ces preuves sont si excellentes, que je doute qu'il y ait une personne qui après avoir veu un échantillon si charmant, ne s'impaticte d'en voir la pièce. Pour cet effet, Monsieur, je Vous souhaitte une longue vie suivie d'une parfaite santé, comme aussi à la docte personne qui cultive un esprit si docile ; a fin qu'un jour Vous puissiez en tirer la gloire que Vous méritez & que Vous, en particulier, accomplissiez les douces esperances de Monsieur votre Pere. Voilà les vœux que fait en votre faveur celui qui Vous prie de lui continuer l'honneur de votre prétieuse affection, & qui est avec toute l'ardeur imaginable

## MONSIEUR,

*Votre très humble & très  
obeissant serviteur*

Sebastian Scanavin.

Jena, Diss., 1721



f

56.

Vol 18





f 23. num. 4.

24  
10  
11

EXERCITATIO JVRIDICA  
DE  
**RERVM DOMINIO**

QVAM

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
*SERENISSIMO PRINCipe AC DOMINO*  
DOMINO

**GVILIELMO HENRICO,**

DUCE SAXONIÆ, IVLIACI, CLIVIÆ, MONTIVM, AN-  
GARIAE, GVESTPHALIAE, ET RELIQA.

*CONSENSV ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS*

PRÆSIDE

**NICOLAO PRAGEMANNO**

PHIL. ET I. V. D. AVL. ET REGIM. SAXO-VINAR.  
ADV. ORDINAR.

*PATRONO AC PRÆCEPTORE SVO AD CINERES*

*VSQVE SVMMA OBSERVANTIA  
DEVENERANDO,*

*DI 24 MAI MDCCXX*

*PUBLICÆ DISQVISITIONI SVBMITTIT*

**CAROL. MICHAEL STRASBERG**

HAMBVRGENSIS LL. CVLT.

*J E N Æ,  
LITTERIS MULLERIANIS.*

